

Hierin 7 Safeln.
26. Juli 1899.

Ex libris

Hunnii, Arnstadt.
(Thuring.)

1884.

DE
**MALIGNITATE
VARIOLARVM NATVRALIVM
TEMPESTIVO VESICATORIORVM
VSV AVERTENDA**

CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAÆ
IN REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO

D. PHILIPPO ADOLPH. BOEHMERO
MEDICINÆ ANATOM. ET CHIRVRG. P. P. ORDINARIO
FACVLTAT MEDICAÆ H. T. DECANO SPECTATISSIMO, ACADEMIAR.
CAESAR, NAT. CVRIOS. ITEMQUE IMPERIAL PETROPOL. NEC NON REG.
BEROL. SCIENT. ET PARIS. CHIRVRGOR. SODALL.

PRO
GRADV DOCTORIS
MEDICINÆ ET CHIRVRGIAE
SVMMISQVE IN VTRIQUE HAC SCIENTIA HONORIBVS
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIUS RITE CAPESENDIS

D. OCTOBRIS CLO CC LXVII,
H. L. Q. S.
PVBLICE DISPVTABIT

AVCTOR

CAROLVS CHRISTIANVS MENSSEN
FRISO-ORIENTALIS.

HALAE AD SALAM AERE BEYERIANO.

V I R O
ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO
AMPLISSIMO DOCTISSIMOQUE
D O M I N O
D. PHILIPPO ADOLPHO
BOEHMERO

MEDIC. ANATOM. ET CHIRVRG. P. P. ORDINARIO
FACVLT. MEDICAЕ H. T. DECANO SPECTATISSIMO ACADEMIAR.
CAESAR. NAT. CVRIOS. ITEMQUE IMPERIAL. PETROPOL. NEC NON
REG. BEROL. SCIENT. ET PARIS. CHIRVRGOR. SODALI

P A T R O N O P R A E C E P T O R I
HOSPITI SVO
AETERNVM DEVENERANDO

VT ET
V I R O
SVMME VENERANDO AMPLISSIMO DOCTISSIMOQUE
EL ARDO ARNOLDO
MENSSEN
VERBI DIVINI MINISTRO VIGILANTISSIMO
ATQVE MERITISSIMO

P A T R I O P T I M O
FILIALI AMORE ET OBSEQVIO AETERNVM COLEND

VIRIS

OPTIME DE SE MERITIS

D. PHILIPPO ADOLPHO

ACADEMICVM SCRIPTVM

SACRVM ESSE IVBET

RGE, RECOL SCIENT ET TUTIS CHIRASQUE SONNA

PATRONO PRAECEPTORI

HOCPLTISAO

VERITATE DEFENSANDO

VIRIO

EVARDO ARNOLDO

MENSSEN

CAROLVS CHRISTIANVS MENSSEN.

OMNITQVIRAT

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt



DISSE^TAT^O IN AVGVRALIS MEDICA
DE
MALIGNITATE
VARIOLARVM NATVRALIVM
TEMPESTIVO VESICATORIORVM
VSV AVERTENDA.

PRAEFATIO.

Felicissimi infisionis successus, in Anglia potissimum obseruati, non vanam Medicis Germanis spem facere poterant, fore, vt, abjectis demum praejudiciorum laqueis, minus deterrenda populo germano ea methodus videatur. Longe tamen aliter res accidit. A paucissimis

A

cissimis enim exemplis (habita scilicet multitudinis incolarum ratione) si discesseris, de infitione altum est in Germania silentium. Medici itaque, incassum hucusque infisionem laudantes, atque de provehenda ea ad meritam inter Germanos dignitatem fere desperantes, eo nunc maxime anniti videntur, ut methodum inueniant, qua variolarum naturalium atrocitati satis secure et cum fructu obuiam ire queant. Multa ideo tentarunt. Mercurialia, Camphora, Laxantia, VSones, Sudorifera, Absorbentia, Cortex Peruuanus et vel sexenta alia adhibita sunt. Quo vero cum euentu id factum sit? norunt omnes, quibus recentissimorum scriptorum lectio ad palatum est. Absit tamen, ut infesta ista tentamina Medicos a proposito deterreant! Nouissima certe ideo capta pericula in spem nos erigunt, fore, ut non omni possibiliitate careat variolarum malignarum in benignas mutatio. *Illustris* nempe BOEHMERUS, quem Praefidem, Praeceptorem et Patronum habere mihi gratulor, cogitans, furente longe lateque ultima variolarum epidemia, de remedio, quo efficere posset, ut variolae naturales artificialibus proprius accederent, sagax in tempestiu[m] vesicatoriorum usum incidit, quo, productis ulceribus, infisionis commodis frui licet naturalibus variolis laborantibus. Prosperrimos inde effectus in variis aegrotis obseruauit *Vir Illustris*, in iis etiam, quorum agnatos, eiusdem grassationis ferocitate abrepitos, doluere parentes. Paucos dein ante menses ad manus *Eius* peruenit libellus *Clarissimi CLOSSII*, quo novam Variolis mendendi methodum proponit, suadet. Mirabundus vidir, *CLOSSI* VM eadem, quam diximus, usum esse, praecipua saltim momenta consentire. Nunc ergo auctor sua forque mihi erat, ut de hac

ma-

De Malignitate Variolarum naturalium tempestiuo etc. 3

materie publice differerem, Sua mecum obseruata, pro ea, qua est erga me, benevolentia communicans. Siffo inaque *Tibi B. L.* specimen, quod, me totum fere *Illustri* meo *PRAESIDI* debere, gratissima mente agnosco.

§. I.

Methodus ipsa.

Initium sermonis a methodo ipsa capturus, eam, qua usus est *Illustris BOEHMERVS*, cum medela statim comparabo, quam *Clariss. CLOSSIVS* commendauit in libello, cui titulus: *Noua Variolis Medendi Methodus cum Specimine obseruationum miscellarum, rem medicam illustrantium. Auctore Ioh. Freder. CLOSSIO. AA. LL. Mag. Philos. et Med. Doct. Traiect. ad Rhen. 1766.* Hic, ad aegrotum aliquem accedens, in quo signa variolarum imminentium animaduertit, utriusque furae, antea tepida lotae, ac pannis asperioribus calefactis probe perfictae, vesicatorium satis largum imponit, praemissa, si aliunde nihil obstat, venae sectione in brachio. Ut vesicatoriis ipsis maiorem conciliat efficacitatem, hac methodo vtitur: Sumit emplastri melilotini vel alias emollientis, quantum opus est, idque aceto scillino subactum et super aluta, vel linteo crassiori extensum, cantharidibus selectioribus, recens in puluerem redactis, liberalius conspergit, monens simul, opus his esse, ut vesicatoriorum virtus et certior et citior euadat, ac tunc fieri affoler, quando aut minus recentes cantharides sumuntur, aut acetum scillinum omittitur. Alutam, cui emplastri massa inducta est, deligatione strictiori in pedibus firmat, quod eo magis necessarium iudicat, quando febris iam ita inualuit, ut aegrorum corpus et membra ex anxietatibus, deliriis et conuulsio-

A 2

nibus

Dissertatio inauguralis medica

nibus impetuosius exagitentur. Per alutae ideo limbum superiorem et inferiorem fasciolas aptas traxit, quibus pedi adligatur. Loca, a cantharidibus exulcerata, non unum tantum alterumque diem, sed per uniuersum morbi decursum aperta seruare nouaeque cuticulae generationem praepedire studet. Vbi ergo suplicatur, vesicatoria officio suo nondum, quod satis est, fecisse; emplastrum album coctum, vel de spermate ranarum, vel de minio, nunc cum aequali, nunc cum quarta emplastri vesicatorii vulgaris, eiusque recentis, parte permixtum imponit; vbi vero effectum, ab illis editum, sufficere posse intelligit, solam theriacam, linteo in emplastri modum inductam, applicat. Caeterum optimam methodum in sanandis variolis commendat, quam ~~s.~~ DENHAMVS et alii magni in arte Viri laudarunt. — *Illustri* BOEHMERI methodus non multum a descripta recedit. Recedit tamen passim. Placuit enim *Viro Illustri* vesicatoria iam ante prima earum initia applicare, si fieri id potuit; eo nempe tempore, quo de contagio tantum metuebat. Nec opus esse credidit, cantharidibus acetum scilliticum addere, cum illi vel soli ipsi sufficere ad scopum, quem habebat, obtinendum visi sint. Post applicata ad suras vesicatoria (nonnumquam unicum sufficiens erat), laxante vtebatur, ad impuritates primarum viarum euacuandas utile; pro potu ordinario suadet decoctum ex herbis et radicibus emollientibus ac purificantibus, quod acido citrino gratum reddere studebat; circa vesperam puluerem temperantem cum sero lactis adhibebat, nec VSIO, si necessaria videbatur, omittebatur. Hac ratione munitus aeger, quam optime pertulit Variolas, vulgari methodo facile sanabiles.

§. II.

De Malignitate Variolarum naturalium tempestiuo etc. 5

§. II.

Vesicatoriorum agendi modus in descripto casu.

Vr ergo commoda huius methodi pateant: modum agendi vesicatoriorum in descripto casu proponere nobis licet. Duplici nempe ratione hic agunt; deriuando scilicet, et effluxum materiae adiuuando. Irritant enim et partes exulcerant. Irritatione facta, deriuant (quod experientia, insigni variolarum copia, in vicinitate vesicatorii erumpente, *Illustrem boenherium satis docuit*); vlcere vero producto, non solum deriuant, sed etiam materiam variolosam expellunt. Quanta vero exinde commoda ad corpus aegrum redundant, quis est, qui non perspiciat? Dirissimi certe sunt variolarum effectus, qui a congestione humorum versus caput atque ipsius materiae nimis insigni copia oriuntur. Hi vero omnes, tempestue adplicatis vesicatoriis, quam optime praepediuntur. Nonne itaque laudem, nonne paeonia vesicatoria merentur? Sed confidemus istos effectus paulo accuratius, cum nonnulla, nec utilia forsitan, momenta *Celeberrimo CLOSSIO* hac in re a me opponi queant, quae omittere non debeo, licet haec non ipsa quidem *CLOSSII* obseruata, quae, quam vera sint, ipse expertus *Illustris PRAESES* testatus est, sed illam potius, quam de vesicatoriorum modo agendi suppeditauit explicationem, respiciant.

A 3

§. III.

§. III.

Minuant primam Variolarum febrem.

Id suis obseruatis didicit *Illustris BOEHMERVS*, atque *CLOSSIVS* expressis verbis monet (l. c. §. VIII. pag. 20. seqq.): *vesicatoria febrem variolarum primam iugulant, vel insigniter certe mitigant.* Audiamus iam *CLOSSIVM*, hunc vesicatoriorum effectum explicantem! *Actio*, inquit, *vesicatoriorum in partes fluidas in hoc consistit, ut maiorem ipsis fluiditatem concilient.* Haud obscure iam, opinor, intelligitur, quomodo vesicatoria aduersus primam variolarum febrem conducant. Ex inflammatoriarum genere eam esse, apud omnes in confessu est. Iam vero in his sanguis multo est viscidior, quam in sanitate, arque, quo viscidior hic est, siue, quo minor est serii diluentis ad cruentem proportio, eo maior est illarum acties. Idem ergo in febre variolosa obtineat necesse est. Daret id manifestissime sanguis, e vena secca missus, pleuritico simillimus, crusta alba contectus — Nonne itaque necessaria consecutione efficitur, ut ea remedijs, quae lentorem illum et visciditatem sanguinis dissoluunt, optima hic se praestent febrifuga? Inter *BOERHAAVIANA* oracula est: omnem febrem inflammatoriam illico cessaturam, si sanguis omnis subito in aquam conuersti posset. Tale quid efficiunt cantharides, mixturam sanguinis turbantes, et bonam cruentis partem in serum mutantes. Crebris id didici erperimentis. — — Satis bene! Fateor lubens, nonnullas cantharidum particulas, admotis vesicatoriis, ad sanguinis massam reuehi; largior non minus,

De Malignitate Variolarum naturalium tempestiuo etc. 7

nus, cantharides, si sanguini addantur soli, eum resoluere potenter: his tamen omnibus concessis, eo adduci non possum, ut credam, tantum, quantum **CLOSSIVS** putavit, effectum a resorptis istis particulis repetendum esse. **CLOSSIVS** enim, hoc affirmans, nonnulla hic precario momenta assumpsit, quae assumere non licet, nisi probentur. Nempe 1) *cantharidum particulas, ad massam sanguinis transeuntes, vere in eam age-re atque valide satis.* Nisi enim hoc demonstretur, ea, quae illis tribuit **CLOSSIVS**, resolutio sanguinis ipsis danda non est. Quis vero est, qui illud accurate euinci queat? Plura certe sunt, quae suadent potius, cantharidum partes resorptas non agere in massam sanguinis. Quem enim fugit, emollientia decocta, quae commendavimus §. I. actioni cantharidum in sanguinem plane aduersari, eamque, continuato vsu, plane delere? *Celeberr. CRANTZ* de vsu cantharidum externo pronunciat haec: *scire autem conuenit, simus emulsiones, vel decocta emollientia, mucilaginosa, interne exhibenda, ne viae vrinariae offendantur.* Vid. *EIVS Mater Med. et Chirurg. Part. III pag. 93.* Quid ergo, sub vsu decoctorum emollientium (§. I.), a cantharidum reductis particulis in sanguine aut sperandum, aut metuendum? 2) *Cantharidum particulas, praesente iam flatu inflammatorio, vere resoluere diahesin sanguinis phlogistiam.* Ponit id **CLOSSIVS**; ut tuto affirmari nequit. Ipsem **CLOSSIVS** egregie dicit: *constat sane inter omnes, nullius medicamenti actionem esse absolutam, sed semper corporum, quibus applicatur, conditiones sequi* (l. m. c. pag. 22.). Quod vtinam ipsi hic applicare placuisse! Notum est, varia acria,
DODD.
quae

quae sibi relicta forsitan sanguinem resoluerent, irritando cor et vasa, motumque ideo sanguinis incitando, vere inspissare et sanguini diathesin inflammatoriam inducere. Acre morbillosum, scarlatinum, ipsumque variolosum exemplo hic esse possunt. Nonne itaque cantharides, licet in se sanguinem attenuent, sub statu variolarum inflammatorio eum condensabunt? Nonne tunc praesens sanguinis, ut ita dicam, inflammatio increscer, atque cum ea febris variolarum prima? Scio quidem *CLOS-
SIVM* hic propria obseruata vgere (l. c. pag. 28. 29.). *Quo-
tiescunque*, inquit, *post vesicatorii applicationem*, *venae sectio-
nem iteraui*, *sanguis nihil crustae*, et *cruorem*, *copiose sero
dilutum*, *exhibuit*: et idem tamen, *vix viginti horis ante emis-
sus*, *saepe crusta tenacissima obductus*, *seroque fere omni de-
stitutus fuerat*. *Acutissimas pleuritides una saepius venae
sectio non valde larga*, *vesicatoris simul in usum vocatis*, *suf-
tulit*: *in malo minori sine his vix quatuor, vel quinque, eae-
demque uberrimae profuerunt*. Durum omnino videri posset, obseruatis his resistere, atque remediis virtutem, quam obser- uatio et experientia probauit, denegare; liceat tamen mihi no- tare, me quandam in homine, vera ophthalmia laborante, effe- ctus male applicati vesicatorii vidisse. Sensibilis erat, pletho- ricus, ophthalmia serosa quandam saepe affectus, usque an- nuo vesicatoriorum ad nucham adsuetactus. Post usum ve- nam suadebant ipsi vesicatorii ad nucham applicationem. In- creuerunt omnia, dolor, inflammatio, rubor. Haec obserua- tio, alieno peccato facta, cautum me reddet in vesicatoriorum usu, si morbi vere inflammatorii adsunt. Atque cum idem,

quod

De Malignitate Variolarum naturalium tempestivo etc. 9

quod mihi obseruare contigit, aliorum Medicorum observatis conueniens sit: de obseruatis quidem CLOSSII non dubito, at praeciarum illum vesicatoriorum usum, quem ipsis tribuit, accidentalibus quibusdam caussis adscribendum esse puto. Ex praedictis id tantum concludo: cantharides statim inflammatorum minuere, secure assumi non posse; adesse potius rationes, quae suadent, eum inde augeri. 3) *Febrem variolarum primam semper esse inflammatoriam.* Manifesto id affirmat CLOSSIUS. Male tamen. Lege HVXHAMVM, pulcherri- me ea de re differentem, in Dissertatione, quam *de Variolis* emisit. Conf. EIUS *Opera physico-medica*, a Clariss. REICHEL edita. Tom. II. pag. 121. seq. Monet ibi, variolarum febrem modo *inflammatoriam*, modo *lentam nervosam*, modo *putridam esse*, et addit: *Ergo hic tria differentia febris genera ab una contagii specie excitata deprehendimus, atque ut in medendi methodo non minus febris singularis, quam peculiaris morbi contagiosi indolis rationem habeamus, officii ratio postulat.* Si, quod vult CLOSSIUS, vesicatoriorum usus poten- ter soluit sanguinem in variolis inflammatum, quam maxime sine dubio in putrida variolarum febre fugiendus erit. Nonne enim citissima putredo sic effici deberet?

§. IV.

Modus, quo vesicatoria primam variolarum febrem vere minuunt.

Euici, vt arbitror, cogitata Clariss. CLOSSII non posse hic admitti, Addi his potest: mercurialium usum prophylacti-

B

cum

cum summe nocuum tam ab E D I M B U R G E N S I B V S, quam *Il-*
lustri de HAEN obseruatum esse: attamen mercurialia aequa, ac
cantharides, resoluunt. Si ergo cantharides resoluedo in propo-
sito casu agerent: nonne nociuus potius, quam salubris inde effe-
ctus oboriri deberet? Id demum repono: *Illustris BOEHMERVS*
ante variolarum prima initia, si fieri poterat, adplicuit vesicato-
ria, vt diximus §pho I. Actio ergo resorptarum a cantharidi-
bus particularum sub inuasionem variolosae febris primae tunc
iam deleta erat. Nihilo minus obseruauit *Vir Illustris*, hanc
febrem minorem exstisisse. Quare non possumus hoc phaeno-
menon ab istis cantharidum particulis repete, quae, facta ea-
rum absorptione, massam sanguinis ingressae sunt. Vnde nam ve-
ro demum hoc febris decrementum explicari debet? Ita hac
de re sentiendum esse credo: Febris variolarum prima, tamquam
Naturae, apto sensu acceptae, molimen, quo se se contra interi-
tum defendit, concipi debet. Quando enim sufficiens materiae
variolosae copia sanguinis oceano inhaeret, cor inde et vasa ir-
ritantur, celerius frequentiusque se se contrahunt, acceleratur san-
guinis motus, oritur febris. Magnitudo huius febris sine dubio
proportionata erit 1, Sensibilitati et irritabilitati subiectorum; 2,
copiae phlogisticarum sanguinis particularum; 3, acrimoniae;
in corpore praesentis, gradui; demum 4, eruptioni variolarum
citius tardiusue factae. Nemo non haec concedet, cum experi-
entia fere quotidiana ea confirmet. Nonne enim teneriora sub-
iecta grauiorem solent febrem experiri? Nonne magnus s y-
D E N H A M V S malas et vehementes variolas illis metuendas esse
censer, qui spirituorum abusum admiserunt? Nonne, quibus

in-

De malignitate Variolarum naturalium tempestiuo etc. 11

impuritatibus multifariis repletum est corpus, pessime variolis decumbunt? Nonne demum acrimonia, atque hinc pendens febris, eo maior esse debent, quo diutius in corpore et sanguine retinetur miasma variolosum? Sine dubio. Nunc ergo vera vesicatoriorum actio, qua istam febrem minuunt, intelligitur. Per vlcus nempe artificiale, quod produxere, euacuant copiam non paruam miasmatis et acris materiae, simul vero deriuant massam humorum ad cutim, quo efficiunt, ut eo citior contingat exanthematum eruptio. Nonne ergo opus est, ut febris prima variolarum mitigetur inde? Nonne multo adhuc praestantius operantur hic vesicatoria balneis, quae, ut deriuatio ad cutim faciliorque fiat variolarum eruptio, toties commendauit BOERHAA-
VIVS, cumque eo schola, quam stabiluit? Caeterum effectus, quos vesicatoriis modo adscriptimus, CLOSSIVS bene sensit. Notat enim, vesicatoria copiam variolarum imminuere (quod effluentis per vlcus materiae manifestissimum est signum) et variolarum eruptionem promovere, quod deriuationis, quam perficiunt, effectus est. Vid. l.c. §. IX. X.

§. V.

*Vesicatoria, tempestiuie in Variolis adhibita, minuunt aut
praeceavent febrem secundariam.*

Obseruauit *Illustris BOEHMERVS*, vsu vesicatoriorum tempestiuo pestilentem illam variolarum febrem secundariam *vel* plane extinctam esse, *vel* placide saltim & absque periculo deferuisse. Atque idem plane vrget *Clarissimus CLOSSIVS* (l.c. §. XV. pag. 59.). *Vesicatoria*, inquit, *febrem variolarum se-*

cundam vel omnino praecaudent, vel mitissimam efficiunt; et paulo post: *A praesentissimo isto vitae periculo (quod nempe febris illa inferre solet) vesicatoriorum beneficio immunes praeflantur.* Peracta eruptione, adoleuerunt, maturuerunt, exsiccatae fuerunt, pustulae, sine ullo tumultu, nulla plerunque febre apparente, aut tali, qua nibil mitius fieri potuerit. Causa huius phaenomeni non difficulter deturgitur. Secunda enim variolarum febris debet dolori & inflammationi cutis, atque resorptae materiae purulentae. Confer. TRALLE'S de methodo medendi variolis haec tenus cognita saepe insufficiente. pag. 84. 85. Hinc copiae pustularum et puris acrimoniae proportionata erit. Testatur id, ut alios mittam, SYDENHAMVS. Etenim post omnium inquit, vel exquisitissimas obseruationes rei cardo in hoc vertitur, vt in variolosis salutis spes omnis in exanthematum paucitate reponatur; differimen in eorumdem multitudine, et prout plura haec sunt, aut pauciora, aut moritur, aut viuit aeger. Atque dein: *Quanto magis Medicus, ubi primis morbi diebus aegrum inuisens, faciem ad instar pulueris e limatura aciculorum undique respersam contemplabitur, mortem praedicet uno aliquo e diebus iam memoratis (nempe die vndeclimo, decimo quarto, decimo septimo) inuolaturum; idque prae indomita vi febris succedaneae, quam, pro ratione quantitatis puris, ex innumeris ipsis apostematis in sanguinem reiecti, desauire necesse est.* Praeter copiam tamen puris, eius etiam acrimoniam, in determinando febris secundae periculo, attendendam esse, vel ex ipso SYDENHAM o intelligitur, qui maculas sanguinisque metum (putredinis effectus) lethalia signa esse indicat. Confer. EIVS

Opera

De Malignitate Variolarum naturalium tempestiuo etc. 13

Opera omnia Tom. I. pag. 234. 235. Nunc vesicatoria, tempestiuie in curando morbo varioloso adhibita, copiam pustularum minuant; acre euacuant; cauentque, ne nimium in sanguinem internasque corporis humani partes agat (§. anteced.). Mirandum itaque non est, vesicatoria ita applicata, febrem variolarum secundariam aut praecauere, aut multum imminuere. Non placet *Clarissimo CLOSSIO* haec explicatio, quod aperte profitetur. Negat enim Vir clarus, febrem variolarum secundam a pure, in sanguinem resorpto, originem suam sumere. *Mibi quidem*, inquit, *hoc nondum ita videtur liquidum, ut nullus dubitationi locus relinquitur*. Occurrunt sane phaenomena, quae ex illa hypothesi neutriquam explicari possunt. Videas saepe variolas distinctissimas, quas acutissima febris secunda comitatur; videas e contrario nonnumquam confluentissimas, bac prope nulla, vel admodum leni, stipatas. Quomodo haec cum dicta febris secundae caufsa conciliare liceat, equidem tam perspicax non sum, ut videam. Aut plane egregie fallor, aut posita illa, absolutae necessitatis est, ut febris secunda variolas confluentes semper gravissima, distinctas autem semper vel plane nulla, vel longe mitissima concomitetur (l. m. c. §. XV. pag. 61.). Fateor (atque id iam MEAD & *Illustris de HAEN* vrgent), variolas distinctas confluentibus nonnumquam periculofiores esse, quo etiam factum, ut magni Medici eam, quae SYDENHAMO placuit, variolarum in distinctas & confluentes divisionem reiecerint. Quam vero ob cauffam *Clariss CLOSSIVS* hinc concludat, febrem variolarum secundam a pure resorpto non pendere, quod, post SYDENHAMVM, virget TRALLE-

B 3

SIVS,

sivs, tam perspicax non sum, vt videam Etenim magnitudo huius febris non soli quidem copiae resorpti puris ad sanguinem, sed eius etiam acrimoniae proportionata est. Quod si ergo distinctae variolae interdum maiore febre secunda, ac confluentes, stipentur: id indicium maioris est acrimoniae. Diferarum autem materiam nonnumquam ea, quae confluentes excitat, acriorem existere et malignorem, res est, extra omnem dubitationis aleam posita. Patet ergo, dubium, quod **CLOSSIVS** contra ortum febris variolarum secundae ex resorpto ad sanguinem pure format, non tanti esse momenti, vt ea de re nobis dubitare liceat. Nec credo quoque, fore multos, qui eam, quam sicut *Vir Clarissimus* de febre variolarum secunda, approbent sententiam. Credit enim, ideo hanc febrem oriri, quod prima febris eas particulas, quae coctionem nondum subierunt, euacuare et ad cutis ambitum propellere non potuerit. Quae sententia, si vera esset, nullam inter primam et secundam febrem differentiam admitteret, quae tamen, quam magna sit, nemo non perspicit; licet forsitan negari non plane possit, fieri posse, vt relictae in massa sanguinea particulae miasmaticae nonnumquam febrem secundariam augeant, ex quo vero nec constans, nec vniuersalis debet formari lex. Ceterum ex antecedentibus intelligi potest, quo respectu sententiae *Clariss. CLOSSII* calculum nostrum adiicimus, quando l.c. pag. 63. *Vesicatoria*, inquit, febrem variolarum secundam ideo praecavent, vel minuant, quod sufficiat per illa continua euacuatione, niftil, vel perparum materiae exanthematicae in corpore remanet, quod illam concitare atque accendere possit. Continuus enim ille

De Malignitate Variolarum naturalium tempestiuo etc. 15

ille per vlcus artificiale materiae effluxus optimae sine dubio aut diarhoeae aut saliuationi praeferri deberet, in quibus excretiobus laudandis tam multi sunt obseruatores.

§. VI.

Alia vesicatoriorum, tempestiue in variolis adhibitorum, comoda.

Cum variolosi morbi symptomata ab acri, motu humorum intenso, congestione sanguinis versus caput et eruptio-
nis impedimento maxima ex parte pendere soleant; vesicatoria
vero copiam acris minuant, febrem minus intensam reddant,
fluida versus pedes deriuent atque eruptionem variolarum pro-
moueant, quod in antecedentibus satis euictum est: sequitur,
fieri hinc aliter non posse, quin vesicatoria, tempestiue satis
in morbo varioloso adhibita, eius symptomata leniant. Prae-
cipue vero materiam variolosam a facie arcent, oculos defendant
atque vultus naturalem nitorem conseruant. Confer.
CLOSSIUS l. c §§. VII. XII. XIII. XIV. Celeberrimus TIS-
SOT dicit: *Pediluuiis, aut mollibus fomentis continuo appli-
catis pedes et crura sic dispono, vt humoribus facilem aditum
praebeant, tum plantis pedum epispastica apponi curo, quae buc
humorum congestiones adducunt.* Ex hoc remedio, ultra quod
crederent inexperti, tument inferiora, detument superiora,
mitescit febris, quae hanc saepe exhibet pulsus velocitatem,
in omni alia febre cito lethalem. Vidi hoc anno collum hor-
ride rurgidum, educta e lecto aegra et finapsinis plantis
pedum applicatis, intra viginti minuta dimidiam diametri par-

tem

tem amississe. Vid. EIVS de Variol. Apopl. et Hydr. Epistola pag. 61. 62. Haec insignia sunt remediorum, humores a capite ad pedes deriuantium, commoda, si in morbo varioloso ipso adhibeantur. Maiora certe erunt, si, tempestiuo vesicatoriorum vsu, vlcera cito ad pedes efficiantur, quae continua praefstant deriuationem. Porro: Obseruarunt HAENIVS et TISSOT variolas, fulgure ocyus lethales, ex pure, in sanguine praesente, variolis licet optime repletis, ad cerebrum delato et apoplexiā inferente. Tempestiuus vesicatoriorum vsus tristissimum hoc fatum praecepit. Salivationes quoque et diarrhoeae minus accedent, quae, licet salutifera sint symptoma, varia nihilominus producere solent incommoda, ut satius sit, eas, si absque aegri damno id fieri queat, praeauere. Demum: tempestiuus vesicatoriorum vsus reliquias variolarum praeauet. Vid. CLOSSIVS l. c. §. XVI. Istae enim a relicta materiae variolosae purisque copia pendent; sed vlcus, artificio adeptum in pedibus, ut ea materies relinquatur, non permittit. Quantum vero exinde commodum ad aegrorum corpora redundet, is facile perspiciet, qui damna eiusmodi reliquiarum in memoria reuocat.

§. VII.

*Comparatio variolarum, quibus tempestiuo vesicatoriorum
vsu medemur, cum artificialibus.*

Pulcherrima, quae praefstant variolae artificiales, commoda, præparationi corporum et vlceri partium externarum, quo insignis miasmatis variolosi et puris, inde enati, copia effluit, debentur.

bentur. Quamuis enim SCHVLZIVS exemplum adducat variolarum artificialium sine materiae effluxu satis benignarum: tamen, cum rarissimum hoc sit, minime docet, vlcus illud in variolis, arte productis, inutile esse. Methodus vero, quam commendauimus, quaque vſus est *Illiſtris PRAESES* in variolis naturalibus, iſſdem plane commodis gaudet. Nonne itaque ipsa hac methodo effici potest, vt variolae naturales artificialibus proprius accedant? Arque, cum vlcus, infitionis auxilio productum, nonnuimquam cauſa fuerit morbi variolosi sine variolis, infitionem inſequentiſ, nonne id ab illa etiam methodo sperere fas est, quam descriplimus? Accurata certe eiusmodi casuum consideratio hanc ſpem excitare potest.

§. VIII.

*Veficatoriis in omnibus variolarum ſpeciebus tuto
vti poſſimus.*

Mouū in superioribus, recte HVXHAMVM variolofam febrem in putridam, lentam neruofam et inflammatorm dīuidere. Quacunque vero harum febrium ſpecies varioloso morbo accedat: veficatoriis tuto vti poſſimus. Quamuis enim cantharidum particulae, ad ſanguinem reſorptae, ſi in ſe conſiderentur, putredinem augeant et ebullitionem efficient; atque hinc tam in putridis, quam inflammatoriis febribus noceant: tamen, cum decoctorum emollientium et aliorum remediorum, modo putredini, modo inflammationi aduersantium, vſus, illum

C

can-

cantharidum effectum facile imminuat, tollat: vesicatorii securere vti in his variolosae febris speciebus possimus. In febre variolosa, quae ad lentam neruositatem accedit, eo magis conducent, cum hic irritantia viresque excitantia indicentur.

§. IX.

Ad obiectiones quasdam respondetur.

I. *Methodus saepe superuacanea erit.*

Tempestiuus vesicatoriorum in variolis usus postular, vt, ante morbum variolosum, omni suo impetu praesentem, adhibeantur (§. I.); hinc vel comparentibus iam variolarum initiosis, vel ante etiam, quam haec adsint, quo tempore *Illustri BOEHMERO* vesicatoria applicare placuit. In utroque casu facile fieri potest, vt Medicus fallatur, cum prae primis vel ipsa variolarum imminentium signa aliis etiam morbis competent. Nonne itaque methodus ista saepe saepius superuacanea esse debet? Respondeo sequentia 1) licer fieri queat, vt Medicus, variolas imminentem suspicans, fallatur: tamen rarius id, sub epidemica variolarum grassatione, cui methodus illa in primis destinata est, contingit. 2) quodsi etiam fiat, vt tunc Medicus errorem in praedictione commitrat: vesicatorii tamen unius, vel duorum quoque usus aegris nullum inferet damnum. Nam, vt *Clarissimi CLOSSII* verba mea faciam, qui suis aegris vesicatoria nocuisse nunquam expertus est, haec verissima habeo: Quum omnes morbos, qui variolarum initia interdum

men-

De Malignitate Variolarum naturalium tempestiuo etc. 19

mentiuntur, ratione animoque lustro, in plerisque ea vere vtilia, in nullo damnoſa eſſe, facile intelligo. Ut multa itaque largiar, minus necessaria, aut ſuperuacanea nonnumquam eſſe poſſunt. Id vero, quemadmodum conſido, a maturiori illorum vſu neminem prohibebit, qui, quanta hic pollicetur commoda, cognouerit ex iis, quae hactenus in medium adduximus.

§. X.

II. Vlcera pefſimi moris efficere potest veficatoriorum vſus.

Cum in corporibus, impuritatibus repletis, continui ſolutiones in vlcera mali moris degenerare ſoleant, eiusmodi vero corpora variolarum initia experiri queant: nonne fieri hinc potest, vt nociuus sit veficatoriorum vſus? Respondeo: 1) vlcera illa ab vſu veficatoriorum non adeo frequenter oriuntur, licet hoc remedium aegris applicetur, quorum ſucci maxime ſunt impuri. Docet id veficatoriorum vſus in variis morbis et febribus exanthematicis. 2) Eiusmodi corpora in maximo verſantur vitae periculo, ſi variolis afficiantur; plerumque enim tunc fatis cedunt. Nonne ergo in iis licebit remedium applicare, quod imminens vitae periculum arcer, ita tamen et eo cum incommodo, vt vlcus quoddam in parte externa moleſtum et chronicum relinquit? 3) eiusmodi aegri facile vlcus in vſcibus partibusque internis concipiunt. Nonne ſatius erit idem, quamuis moleſtum, in parte ignobili excitare? atque id eo

C 2

ma-

magis, quo certius sic variolarum reliquiae praecaventur? Videlicet *Illustris BOEHMERVS*, quod hac occasione adiicio, diuturnum et molestum eiusmodi ulcus ab usui descriptae methodi in variolis, non quidem ab impuritatibus succorum productum, sed ab abusu vesicatoriorum, quem tenerum subiectum, vitam summopere amans, omnesque dolores ideo, magna animi constantia, perferens, sponte commiserat; concurrente tamen vito forsitan quodam haereditario. Cessit tamen aptis remedii, quae *Vir Illustris* commendauit.

§. XI.

III. *Vesicatoria raro apta sunt in variolis remedia.*

Celeberrimus TRALLEs, magnus vesicatoriorum osor in febre variolarum secunda, eiusmodi ad suam sententiam corroborandam assert argumenta, quae usui etiam tempestiuorum, quem diximus, repugnant. Haec enim illius sunt argumenta: Variolae ponunt acre praeſens, accedente ipsis plerumque febre inflammatoria. Cantharides augent acre in massa sanguinis, inflammationemque. Nonne itaque in omni caſu reiici debent, vbi variolae adsunt, aut instant, niſi virium adsit debilitas, quae excitante opus habet? *BOERHAAVIUS* conſentit. *Vesicatoria*, inquit, agunt, quatenus motum faciunt, et ſe in corpus infiuant. Non conducunt, vbi humores ſunt acres, nec in morbis acutis inflammatoriis, nec vbi inclinatio eſt ad alcali. Miror claros viros adeo ſaepē vesicatoria lau-

De Malignitate Variolarum naturalium tempestiuo etc. 21

laudare, quippe per se febrem, anxieratem, halitum cadaue-
rosum, urinam foetidam et acrem, sanguinem in acre putre-
faciens solutum. Confer. TRALLES l. c. pag. 101 seqq.
Nonne haec omnia manifesto simul damnant eam vesicato-
riorum in variolis vsum, quem adeo laudauimus? Sed haec
repono: 1) Summi in arte Viri nocuos vesicatoriorum effe-
ctus nimium quantum in praedictis morbis augere mihi qui-
dem videntur. Delineant enim effectus, quos cantharidum
particulae sibi reliætae in massam sanguinem anserunt et exsicerent
possunt; non cogitant vero, aquam humorum nostrorum; de-
cocta emollientia; acida; nitrosa; VSnes et similia noxam minue-
re, tollere, absque eo tamen, ut boni eorum, in praedictis
morbis, effectus inde deleantur. 2) Nos commendamus vsum
vesicatoriorum ante morbum variolosum. Tunc ergo solo vl-
cere, quod produxere, in ipso morbo varioloso agunt.

§. XII.

Cantelae quaedam et monita.

Alias obiectiones, v. g. eam, quae a dolore, quem
creant vesicatoria, desumi posset, mitto, cum ad eas, absque
difficultate, responderi possit. Monita tantum quaedam adiicio.
In adhibenda nempe ea, quam descriptam dedimus, methodo,
eo anniti debet medicus, ut I. pro varia aegrorum confitu-
tione variam præparationem adhibeat, quod etiam insitionis
patroni præcipiant; II. vlcus, a vesicatoriis productum, quam-

D

diu

diu morbus durat, fluere sinat, ne optimis illis, quos ipsi dedimus, effectibus, ob nimis citam illius sanationem, destituatur aeger. III. *Variolas ipsas* optima illa methodo, qnam SYDENHAMVS, MORTON BOERHAAVE et alii tradiderunt, curet, trahet. Denique IV. si vlcus nimis diu persistere videatur, purificantibus internis externisque et deriuantibus, vt laxinibus, alias etiam necessariis, vtatur. *Clarissimus CLOSSIVS* (I. c. pag. 64) suras exilceratas, si emplastris saturninis, obedire recusent, essentia myrrae, sine sale alcalino parata, persanauit.

T A N T V M.



NO-

NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
C A N D I D A T O
S.
P R A E S E S.

*Quod Parens Medicinae, Divus HIPPOTRATES afferit, sancta-
que sancit lege, ut ad Medicinae studium adferantur, natura, inde-
les apta, studium et tempus, id firmo gaudet fundamento et quo-
tidiana confirmatur experientia; interim, quomodo omnia etiam com-
parata sint, nullus erit, quin facile cognoscat, quo ordine quaevis suc-
cedere, et qualem utilitatem ad uniuersum scopum habere possint.
Negandum non est, et tempus studio, et studium indoli plurimum
debere, ut alterum intuitu alterius promptius succedat, cedat felicius;
ingens autem subfidium est, veram detegere viam, quae nos ducit
ad scientificam rerum cognitionem, ad ipsam praxin adplicandam,
et quae ordine adiuuanda sunt, ordine reperire. Haec praemit-
tendi, TV, PRAESTANTISSIME CANDIDATE, ansam praebuisti,
qui studium medicum et indole optima aggressus, et studio indefesso
prosequitus es. Tres enim praeterlapsi sunt anni, in quibus or-
dine in addiscendis veritatibus medicis earumque nexu assiduum te*

exhibuisti, vigilemque gestisti; hinc fabium fuit, ut sub egregio hoc
temporis compendio, laudabiles feceris progressus, quos diuturno fau-
stoque successu in plurimorum mortalium usum transferre poteris.
Expectationi omnium, qui TIBI bene cupiunt, satisfecisti, dum in
arte salutari scientiam ita comprobasti, ut Illustris Medicorum Ordini
vis honorificum de impetrandis summis in arte salutari honoribus
obtinueris decretum. Campum TIBI elegisti diffusum, verumque in-
uenies Divini senis dictum, artem esse longam, praesertim cum
Medicinam, cum Chirurgia sororio nexu iunctam, excolendam et
exercendam TIBI proposueris. Adserit Ordo saluberrimus peti-
tis TVIS honestis, et astitum ad summam tam in Medicina, quam
Chirurgia aperuit dignitates, quas habita Disputatione, cuius nobilitate
defendendum suscepisti argumentum, perget mereri, et ego academi-
cum morem, easdem TIBI gratulandi, libentius sequor, quum prae-
ter industriam, morum etiam integritatem et probitatem TE omnibus
reddideris acceptum. Sicuti igitur TE, patrios nunc cogitantem la-
res, bonis omnibus prosequor, ita hunc, TIBI felicem, gratulor diem,
Divinam in suscipiendis conatibus adprecor benedictionem, atque, ut
Supremum idque benignissimum Numen TE statuat corporis conser-
vatorem aeque ac salutis defensorem, vehementer opto. Vale & de
meo in Te semper propenso animo dubitare noli. Dab. e Mus.
d. XXX. Octobr. clo Is CCLXVII.

VIRO

V I R O
PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
CAROLO CHRIST. MENSSEN
DIGNISSIMO CANDIDATO

S. P. D.

CHRIST. GOTTLÖB CONRAD. HERTZOG
COTHENIO ANHATINVS
M. C. ATQVE OPPON.

*E*ruditio est et morum probitas, amice svaissime, quae felicitatem humanam mirum in modum accumulant. Prior vel rationis vel experientiae excolitione acquiritur, quam per accuratam causarum inquisitionem, te cum almae Fridericianae civis adhuc degeres, maxime solerti sane industria perficere, studuisse, quilibet, quem tecum intercessit familiaritas, attestabitur. Morum probitatem sat integrum nunc praedicem haud necesse est, cum omnes, qui te norunt, eandem sufficientibus euehere noscant laudibus. Gratulor ergo tibi, Amicorum suuissime, de summis in arte nostra ex merito tibi confundendis dignitatibus, utque ius in tui aliorumque felicitatem diu multum fruoris ac utaris opto; reciprocem tui benevolentiam mihi certo spondens. Vale, et mox in dilectam Patriam reuertere. Dabam Halae die XXX Octobris MDCCCLXVII.

VIRO

VIRO
PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
CANDIDATO DIGNISSIMO

S. P. D.

HEINR. CAROL. REICH, M. C.

Quamquam mihi gratissima est ea prouincia, quam mibi mandasti, publice tecum disputandi: declarat enim magnam TVAM erga me benevolentiam: tamen vereor, ut aut TVAE spei, aut meae voluntati satisfaciam. Nam cum is ego sum, qui neque TVAE doctrinae, neque adeo illi prouinciae par sit, tum vero etiam hoc quidem tempore varia me negotia impediunt, quo minus huic TVO mandato rite inserviam. Sed spero, fore, ut, si quid a me desideratur, id, pro TVO erga me amore, mibi condones. Cuiusquidem amoris hoc vel maximum documentum arbitror, quod mibi potissimum hanc tecum disputandi prouinciam mandaueris, quae eo mibi acceptior est, quo ampliorem mibi praebet occasionem, amicitiam tecum contrahendi. Neque vero parui momenti duendum puto, ut eiusmodi amico, quem animi mira integritas commendat, quem ornat morum modestia atque humanitas, qui conspicuus est elegantiorum litterarum egregia doctrina, qui denique artis salutaris exquisita peritia ita se insignem reddit, ut onnes eum ament, admirantur. Itaque felicem me iure quoddam meo praedico, cui contingit in amicitiam TVAM recipi, qua ut me dignum reddam, ita operam dobo, ut a te cupio amari atque diligi. Quod reliquum est, gratulator TIBI summos in Arte Media honores, propediem in te conferendo. Dum O. M. vero rogo, ut te diu viuere atque beate iubest, patriae ciuem utilissimum, parentum filium optimum, aegrotorum medicum peritissimum, amicorum denique delicias. Vale. Dab. Hala ad Salam die XXX. Oct. MDCLXVII.

VIRO

VIRO
PRAENOBILISSIMO, DOCTISSIMO
CANDIDATO
DOCTORALIVM HONORVM DIGNISSIMO

S. P. D.

IOHANNES ERNESTVS STAHL
OPP.

Quum cathedram TIBI ascendentis dissidentis partes in me conferre placuerit: mihi certe meoque officio minus satisfecisse viderer, si, omissa hac publice TIBI, CANDIDATE PRAESTANTISSIME, amorens meum testandi opportunitate, applaudentium TIBI non accessissim numero. Eruditio TVA, ingenii acumen, summa diligentia, morumque candor et modestia amplissimum quidem mihi praeberrant campum in TVAS laudes excurrendi. Sed ad elogium TVVM celebrandam non satis idoneus sum neque dignus. Hinc nihil supereft, nisi, ut eruditionis hocce TVAE specimen, quod publice edidisti, summosque in arte salutari honores ex merito propediem in TE conferendos ex animo gratuler, iunctis insimul votis, ut summa hac dignitate acquista, in patriae, gentis TVAE splendidissimae, propriumque comodum et ornamentum, inque solatium plurium aegrotantium, per longam annorum seriem, omnibus felicitatum generibus ornatus fruari. Vale, et in posterum mihi faveas velim. Dabam in alm. Frideric. die XXX mensis Octobris

MDCC LXVII.

BONIUS DOCTOR

IGNATIUS CRISTOFORI

A

gnatius Cris

Ua 4235

ULB Halle
001 500 996

3



sb



B.I.G.



DE

MALIGNITATE VARIOLARVM NATVRALIVM TEMPESTIVO VESICATORIORVM VSV AVERTENDA

CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAЕ
IN REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO

D. PHILIPPO ADOLPH. BOEHMERO

MEDICINAE ANATOM. ET CHIRVRG. P. P. ORDINARIO
FACVLTAT MEDICAЕ H. T. DECANO SPECTATISSIMO, ACADEMIAR.
CAESAR, NAT. CVRIOS. ITEMQVE IMPERIAL PETROPOL. NEC NON REG.
BEROL, SCIENT. ET PARIS. CHIRVRGOR. SODALL.

PRO

GRADV DOCTORIS

MEDICINAE ET CHIRVRGIAE

SVMMISQVE IN VTRAQUE HAC SCIENTIA HONORIEBUS
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIUS RITE CAPESSENDIS

D. OCTOBRIS CLOCC LXVII,

H. L. Q. S.

PVBLINE DISPVTAHIT

AVCTOR

CAROLVS CHRISTIANVS MENSSEN

FRISO- ORIENTALIS.

HALAE AD SALAM AERE BEYERIANO.

